

fieri posse ante caritatem diffusam in cordibus, h. e. ante gratiam sanctificantem; hinc scribit: de contritione *in caritate* facta; non autem *ex caritate* facta. Utrumque hunc errorem confutatur Synodus docet, attritionem ex gehennæ ac pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, impulsum esse Spiritus sancti, et ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere.

168. *Obj. II.* Joannes GERSON tom. 2. in serm. de pœnit. in Cœna Domini ita scribit: *Dicit Dominus Guillelmus Parisiensis, et alii communiter, quod attritio, quæ alias non est sufficiens, sit sufficiens virtute sacramenti.* Item S. THOMAS in 4. d. 6. q. 1. a. 3. ad 5. *Ad hoc, inquit, ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non caritas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Ergo etiam secundum antiquorum Theologorum communem sententiam sufficit ad remissionem peccati in sacramentis mortuorum impetrandam attritio supernaturalis ex metu gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, aut alio simili motivo supernaturali concepta sine actu dilectionis Dei inchoatæ. Ita Joan. Bapt. Gonet in Manuali Thomistico tom. 6. tract. 5. c. 4. §. 4. et fusius de eadem re agit alias tom. 5. disp. 7. a. 2.

R. D. *Cons.* Sufficit talis attritio sine actu dilectionis ex motivo perfectæ caritatis C. sine actu dilectionis Dei, qui sit amor initialis N. Guillelmus Parisiensis libro de Pœnitentia fol. 31. (al. c. 7. opp. t. 1. p. 462. C. D.) scribit, attritioni, qua peccator indulgentiam scelerum in sacramento consequitur, necessario conjunctum esse amorem præparatorium, quo Deus ametur secundum quod est Deus. *Necesse, inquit, est, ut moveatur, qui atteritur vel conteritur, motu fidei, spei: ... Necesse est etiam, ut moveatur motu dilectionis alicujus, sive illa sit caritas sive non.* Et paulo ante (c. 6. p. 467. A.): *Amore præparatorio amatur Deus secundum quod est Deus; quemadmodum amore, qui caritas dicitur. Quare erunt ejusdem speciei amor præparatorius et amor qui caritas dicitur: nimirum ex objecto materiali et formali inadæquato.* Joan. Gerson l. c. *Confessio, inquit, fiat vere, non ficte, hoc est, in contritione et caritate, secundum probabilem conjecturam. Utrum autem confessio, quæ fit sine caritate, liberet, ne iterum dicantur peccata, est difficultas viæ inter Scholasticos dissolubilis... Dicit autem Dom. Guillelmus. Nec profuit adversariis S. Thomæ auctoritas: loquitur enim loco citato de caritate perfecta: quod vero ad omnem pœnitentiam exigat aliquam Dei dilectionem, ex supra adductis ipsius testimoniis vidimus: Quapropter Gonetus ipse in Manuali l. c. *Secundo alii respondent, amorem, de quo Concilium ibi loquitur... esse amorem spei, seu concupiscentiæ, quo peccatores Deum ut sibi bonum et placabilem diligere incipiunt, ut ex ipso contextu liquet, etc.* Responsione autem tertia idem Gonetus ait, inchoatam illam dilectionem a Concilio requiri, non quidem ut dispositionem omnino necessariam ad justificationem, quæ fit in Baptismo, sed solum declarari, talem dilectionem frequenter reperiri et ordinarie in adultis, cum ad sacramentum Baptismi accedunt. Quod idem Joan. Baptista Gormaz innuere videtur.*

*Inst. 1.* Si Lex evangelica oneri confessionis adhuc necessitatem amoris adjiciat, ergo gravior erit Lege antiqua.

R. N. *Illat.* Amor iste Dei difficilis videri non debet: nec enim pœnitens

sperare a Deo peccatorum veniam potest, quæ detestatur super omnia detestabilia, quin Deum simul amet, ut tanti beneficii auctorem; vel saltem tunc propendeat ad sic amandum Deum, ut non possit eum non amare, nisi expresse nolit, imo et conetur in oppositum. Non ergo est difficilis lex Christi exigens amorem illum, qui grata quadam necessitate conjunctus est cum spe veniæ, et tam convenienter requiri potest per modum dispositionis ad justificationem.

*Inst. 2.* Sacramentum pœnitentiæ cum majoris sit efficaciam, quam sacramenta veteris Testamenti, longe minorem exigit dispositionem ad justificationem: hoc autem non esset, si exigeretur actus formalis dilectionis; ergo.

R. D. *M.* Sacramentum pœnitentiæ minorem exigit dispositionem, ita ut pœnitentes a lege amoris Dei et veræ ad Deum conversionis prorsus eximat, soloque timoris gehennæ actu justificet N. ut saltem amoris initialis actum exigat C. Cum in lege timoris nemo sine caritate et contritione perfecta justificari potuerit, credibile non est, in lege evangelicâ et amoris homines solo timore sine ullo amoris actu justificari posse.

*Inst. 3.* Timor gehennæ supernaturalis impulsus Spiritus sancti omnem peccandi voluntatem excludit, hominemque ad Deum convertit; ergo est sufficiens ad Dei gratiam in sacramento percipiendam.

R. D. *Ant.* Timor gehennæ adæquate sumptæ omnem peccandi voluntatem excludit, hominemque ad Deum convertit C. timor gehennæ inadæquate sumptæ hæc præstat N. Gehenna adæquate sumpta complectitur pœnas sensus et damni. Timor ergo pœnæ sensus, quæ est gehenna inadæquate sumpta, quandoque actualem omnem peccandi voluntatem excludit, ita ut ne conditionatam quidem, implicitam et intus latitantem retineat. Quod si simul fuerit timor pœnæ damni, erit metus gehennæ adæquate sumptæ, qua voluntas et affectus peccandi omnis sive actualis sive habitualis plane removetur, et peccator pœnitens ad Deum positive convertitur; talis enim affectus non est absque amore spei, eo quod *timor mali nascatur ex amore boni contrarii, atque in ipso fundetur*, ut docet B. Thomas 1. 2. q. 25. a. 2., et *passiones omnes ex amore causentur*, ut S. Augustinus L. 14. de Civit. c. 7. et 9. tradit.

169. *Obj. III.* Testimonia S. Scripturæ, quæ 1<sup>a</sup>. conclusione de conversione ad Deum adducuntur, caritatem perfectam sine dubio suadent; ergo non satis apte in conclusione 2<sup>a</sup>. ad actum spei, qui est amor concupiscentiæ, accommodantur.

R. N. *Conseq.* Ex laudatis Scripturæ testimoniis constat, neminem justificari, qui non per actum amoris ad Deum convertatur: at in sacramento baptismi et pœnitentiæ actus solos caritatis perfectæ non esse necessarias dispositiones ad gratiam primam obtinendam nuper evicimus; ergo sufficiet amor initialis, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipimus.

*Inst. 1.* Patres Tridentini Sess. 6. cap. 6. post recitatum spei actum subjungunt amorem initialem; ergo amorem istum ab actu spei diversum esse pronuntiant.

R. D. *Cons.* Ergo pronuntiant dilectionem Dei inchoatam diversam esse ab

actu spei tendentis in objectum suum secundarium *C.* ab actu spei in objectum suum primum tendentis *N.* Objectum spei primum est Dei bonitas, qua beati reddimur; secundarium vero sunt media ad beatitudinem nostram proficientia. Igitur dum Concilium dicit: *In spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*; spem indicat tendentem in veniam peccatorum, quæ est medium ad beatitudinem: dum vero subiungit: *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, affectum exprimit ejusdem spei Deum ipsum amore complectentis.

*Inst. 2.* Præstat dici, hanc inchoatam Dei dilectionem esse amorem benevolentiam, quo Deus propter se tanquam finis cui diligitur, sed nondum super omnia.

*R. N. Assertum.* Quomodo iners hic affectus simplicis complacentiam, qui nec est actus virtutis theologicæ, nec moralis, nec nomine caritatis dignus, quo Deus non amatur super omnia, inducere pœnitentem potest ad peccata sua super omnia mala detestanda? aut quomodo anteferatur amori alii ex virtute spei profecto, quo et Deus propter se ac super omnia diligitur?

*Inst. 3.* Qui contra fidem aut spem peccavit, sine actibus harum virtutum justificari non potest; ergo cum omne peccatum caritati adverteretur, nullus peccator sine actu caritatis justificari potest.

*R. N. Cons.* Fides, ut ait TRIDENTINUM Sess. 14. c. 8., est justificationis nostræ initium, fundamentum et radix, uti et spes; caritas autem est finis vel potius forma qua justus sumus: igitur fides et spes tanquam media necessario antecedunt gratiam sanctificantem, non item caritas, quæ non est medium sed finis. Quod autem extra sacramenti usum actus caritatis perfectæ ad justificationem requiratur, non tam ob rationem in instantia obtensam accidit, quam quod ad justificationem ex opere operantis impetrandam nullus extet actus alius, præter caritatis perfectæ actum, qui ad gratiam saltem de congruo promerendam solus quamdam habet proportionem.

170. *Obj. IV.* In sententia ista posset quis salvari, etiamsi tota vita sua nullum dilectionis perfectæ actum elicuerit, si post susceptum cum inchoata Dei dilectione et attritione baptismum moreretur.

*R. N. Ass.* Omnis homo rationis usum adeptus tenetur continuo sine vituperabili mora per actum perfectæ caritatis ad Deum converti, idque etiam postquam suscepto sacramento justificatus fuit; eundemque actum debet sæpe, dum vivit, repetere, ac præsertim in mortis articulo: neque potest lex ista diu latere hominem, qui Deum agnoscit: neque ad baptismum est admittendus, qui eandem ante doctus non fuerit. Quod si quis suscepto baptismo, diutius, quam par est, executionem hujus præcepti distulerit, lethaliter peccabit; ac multo magis is, qui in mortis articulo actum perfectæ caritatis sua culpa neglexerit. At si suscepto legitime sacramento, postea subito mortis casu occupatus impediretur, quo minus actum dilectionis perfectæ concipiat, salvabitur. Adulto enim peccatori sacramenti copiam habenti actus caritatis non necessarius est ad salutem necessitate medii, sed tantum ex præcepto, quod non pro quovis puncto temporis obligat, cum sit positivum, nec minus propter probabilem juris et facti ignorantiam, aut ob impotentiam excusationem admittit, quam quælibet alia præcepta. Ita Sua-

rez tom. 4. in 3. partem S. Thomæ disp. 15. sect. 4. dub. 2. Ex hactenus dictis

171. *Colliges.* Joannes Gormaz disp. 6. sect. 5. n. 448. hoc argumento contendit tanquam moraliter certum, licere cum attritione ex metu gehennæ, aut ex consideratione turpitudinis peccati concepta accedere ad Pœnitentiæ sacramentum: illa sententia, inquit, est certa moraliter, quæ ex Ecclesiæ doctrina et praxi, aliisque principiis certis ita deducitur per discursum theologicum, ut ostendatur, principia illa stare non posse, quin sententia ipsa inde deducula subsistat: atqui ita se habet sententia de sufficientia attritionis; ergo. *Minorem probat* tum ex praxi communissima Ecclesiarum Germaniæ, Hispaniæ, Italiæ: tum quod Alexander VII. in Decreto supra laudato, *sententiam negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, vetet, alicujus theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxari*; addatque hanc sententiam *hodie inter Scholasticos communioem videri*: tum quod iidem Scholastici Tridentinæ Synodi doctrinam pro sua sententia stare asseverent: tum quod declarationem Cleri Gallicani necessitatem solius perfectæ dilectionis pro Baptismi et Pœnitentiæ sacramentis, an 1700. rejicientis, sibi patrocinari affirmant.

Ex his, inquam, principiis, et ex oppositarum objectionum explicationibus concludunt, sententiam suam plane certam esse certitudine privata, licet non certa sit certitudine authentica, cujus videlicet oppositum sine censura defendi non possit. Quæ quidem vera esse damus adversus illos, qui contritionem ex perfecto caritatis motivo profectam unice pro dispositione ad absolutionem requirunt; modo amor initialis non omittatur, qui saltem spei theologicæ affectus sit, quemque conclusione secunda suasimus. Temperamentum istud advertit Gormaz ipse, et amplexus est: nam disp. 5. sect. 5. §. 2. n. 335. ait, nunquam dari veram attritionem sufficientem ad conferendam gratiam cum sacramento absque consortio alicujus dilectionis: licet enim attritio concipi possit ex quocumque illorum motivorum a Tridentino assignatorum, quin ex amoris motivo concipiatur; in hac tamen divina providentia semper præcedunt dispositiones a Deo ordinatæ ad illam elicendam: cum autem ex illis sit Dei dilectio ex amore concupiscentiæ saltem, nunquam contritio imperfecta reperietur in sacramento absque Dei dilectione. Et ante n. 333. accurate ostendit, Conc. Tridentinum Sess. 6. cap. 6. non solum agere de dispositione sufficiente ad justificationem, quæ fit extra sacramentum, sed etiam de ea, quæ ad justificationem in sacramento sufficit: nam cap. 7. agit de dispositione ad gratiam sanctificantem, cujus gratiæ baptismus est causa instrumentalis, ut constat ex hisce verbis: *Hujus justificationis causæ sunt... instrumentalis item sacramentum baptismi.* Sed illa dispositio, quæ ut votum baptismi sufficiens est ad conferendam gratiam, est dispositio ad gratiam extra sacramentum; illa vero dispositio quæ gratiam efficit cum sacramento re ipsa suscepto, est dispositio cum sacramento. Ergo Tridentinum, de dilectione Dei agens, generali voce utitur, qua disjunctim requirantur sive caritas perfecta, voto tantum sacramenti ad justificationem inducens, sive amor initialis concupiscentiæ ad Dei gratiam impetrandam disponens proxime in utroque sacramento. Quod probabilius

adhuc evincunt testimonia, quæ Concilium ad firmandam doctrinam suam capite 6. ex S. Scriptura pro justificatione tam extra sacramentum, quam in sacramento profert his verbis: *De hac dispositione scriptum est: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua; et: Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Idem Gormaz infert, non esse sermonem Concilio de amore Dei participativo, quando homo attritus justificatur cum sacramento; verum etiam de amore Dei formali, sive perfectæ caritatis sive concupiscentiæ. Sicut enim is, qui videre incipit, re ipsa videt, et qui intelligere incipit, re ipsa intelligit; ita etiam, qui diligere incipit, re ipsa diligit.

## ARTICULUS V.

QUODNAM PROPOSITUM CUM CONTRITIONE AD POENITENTIAE SACRAMENTUM  
REQUIRATUR?

172. *Nota.* Initio hujus capituli diximus, fuisse Theologos, qui formalem dolorem internum de necessitate et essentia hujus sacramenti esse negabant: hi consequenter docent nullo proposito opus esse. Ac Dominicus Sotus quidem dist. 17. q. 1. a. 2. aperte pronuntiat, confessionem nunquam fictam esse ex defectu propositi, si tamen poenitens suum defectum confiteatur.

E contra Joan. Major, Jac. Almainus in 4. d. 14. q. 1. Navarrus, Petrus Sotus, Andreas Vega, Reginaldus et complures alii existimant, requiri saltem ac sufficere propositum virtuale, necessario implicitum et inclusum in eo actu, quo peccata ex motivo caritatis aut alius virtutis generalis detestantur.

Hanc quoque sententiam perniciosi erroris damnant Bellarminus L. 2. de Pœnit. c. 6. et 7., Melchior Canus, Valentia, post Adrianum, et Cajetanum, nixi potissimum auctoritate Conc. Florentini, quod in instructione Eugenii ad Armenos, et Tridentini, quod Sess. 14. cap. 4. docet, primam partem materiæ hujus sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, ad quam pertinet dolor cum proposito non peccandi de cætero.

Media via inter utrosque incessit Suaresius disp. 20. sect. 4. n. 33. et amborum sententias conciliavit: cum quo

173. *Dico.* Propositum formale, per se loquendo, necessarium est ad contritionem, partem materiale hujus sacramenti; per accidens tamen sufficit virtuale.

*Prob. 1<sup>a</sup> pars.* Concilia FLORENT. et TRID. docent, ad contritionem, primam Pœnitentiæ sacramenti partem, pertinere *propositum non peccandi de cætero*; ergo si quis confitens peccata mortalia sciens volens omitat propositum formale, et in ea dispositione absolutionem recipere velit, sine dubio graviter peccabit, ac reddet sacramentum nullum; eo quod ne virtuale quidem propositum habere convinceretur, quod vere contrito esset facillimum.

Ideo nihil est magis usitatum in administratione hujus sacramenti, quam exigere a fidelibus propositum cavendi deinceps peccata.

*Prob. 2<sup>a</sup> pars.* Concilium TRIDENT. ait, sufficere in hoc sacramento attritionem ex gehennæ metu, *si voluntatem peccandi excludat*: atqui omnis contritio efficax voluntatem peccandi excludit, etiam sine formali proposito concepta, ut disputatione præcedenti cap. 2. a. 3. ostendimus; ergo ad contritionem in hoc sacramento sufficit saltem per accidens propositum virtuale. *Hujusmodi videlicet anima mavult dilecto Deo mori, quam eo offenso vivere*, inquit B. AUGUSTINUS tract. 71. in Joan.

174. *Obj. I.* Concilia non frustra exprimunt requiri dolorem et propositum; ergo sicut nunquam sufficit ad sacramentum poenitentiæ dolor tantum virtualis: ita ne per accidens quidem sufficiet aliquando propositum virtuale.

R. N. *Cons.* Mœstam præteritorum errorum detestationem formalem ipsum poenitentiæ nomen insinuat. Et Concilium TRIDENT. Sess. 14. cap. 4. loquens de attritione non tam expresse requirit formalem propositum, sed solum dolorem illum, qui *peccandi voluntatem excludat*: contritio autem imperfecta et efficax includit virtuale propositum contrarium voluntati peccandi; ergo hanc excludit essentialiter: cum e contra possit esse efficax propositum vitandi actionem malam sine ejus detestatione et dolore.

*Inst.* Quia contritio requiritur ex necessitate sacramenti præcepti, non ideo sacramentum Pœnitentiæ valet, quod poenitens ex inadvertentia contritionem omiserit; ergo cum inadvertentia tollat defectum propositi formalis, hoc non videtur exigi ex necessitate sacramenti vel præcepti.

R. D. *Cons.* Hoc non videtur ita exigi per se N. per accidens C. Neque est eadem ratio contritionis et propositi in hoc sacramento; nam contritio est essentialiter detestatio peccati præteriti, confessio est accusatio peccati præteriti, absolutio etiam essentialiter et unice in peccata præterita fertur. Igitur cum omnes partes essentielles sacramenti et ipsius poenitentiæ etymologia noxas commissas spectent, dispositio in futurum non tam videtur esse intrinseca, quam detestatio peccatorum præteritorum.

175. *Obj. II.* Qui habet iudicium firmum de relapsu, non habet verum propositum ac detestationem; nam cum actus voluntatis dirigantur a iudicio, prudens et efficax propositum esse nequit, cui antecedit iudicium certo affirmans pro eodem instanti ejus contradictorium: atqui certi sumus de relapsu in venialia; ergo hæc neque vere detestari, nec verum propositum ea vitandi possumus concipere.

R. D. *min.* Certi sumus de relapsu in venialia, quæ deliberate omnino committantur N. de relapsu in venialia, quæ ex subreptione et minus deliberate nobis accidunt, *subdist.* certi sumus, quod tam frequenter in eadem simus relapsuri ac prius N. possumus nobis probabiliter persuadere et cum gratia Dei sperare, nos rarius talia peccata deinceps commissuros C. Firmum et absolutum propositum concipere possumus vitandi omnia peccata venialia, quæ cum plena deliberatione admitti solent: hoc enim possibile est cum Dei gratia, quæ digne postulantis confertur secundum legem Dei ordinariam. Quanquam autem propositum prorsus absolutum de venia